

## No. 524. 1360. 11. Oct.

*P. Innocenz VI. ordnet die Feier des Festes der Dornenkrone des Herrn in den Franciscaner-Klöstern und den Nonnenklöstern des Ordens der h. Clara an.*

Innocentius episcopus etc. venerabilibus fratribus . . . archiepiscopo Magdeburgensi, et . . . Wratislaviensi ac . . . Misnensi episcopis salutem etc. Dominus noster Jhesus Christus etc. — Sane, sicut petitio carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum imperatoris semper augusti nobis exhibita continebat, licet certum festum de corona ad honorem eiusdem domini nostri iam diu ordinatum in ecclesiis cathedralibus partium Saxoniae celebretur, tamen in locis ordinis fratrum minorum et in monasteriis monialium ordinis sanctae Clarae dictarum partium minime celebratur: Quare pro parte dicti imperatoris fuit nobis humiliter supplicatum, ut celebrandi huiusmodi festum in eisdem locis et monasteriis personis locorum et monasteriorum praedictorum licentiam concedere dignaremur. Nos igitur, qui eiusdem salvatoris nostri laudum praeconia extolli intentis desideriis affectamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestrae, de qua in his et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus, si non est aliquod canonicum quod obsistat, universis et singulis fratribus locorum et monialibus monasteriorum praedictorum, et praesidentibus eisdem locis et monasteriis tam praesentibus quam futuris auctoritate nostra concedatis, ut in praedictis locis et monasteriis huiusmodi festum ita solenniter agere possint, sicut in ecclesiis cathedralibus peragitur antedictis. Datum Avinione V. Idus Octobris anno octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. XXIV. cod. chart. fol. 39 in Vett. Monum. Polon. et Lithuan. hist. illustr. ed. Theiner. T. I. p. 606 sq.

## No. 525. 1360. 11. Oct.

*P. Innocenz VI. ordnet die Feier des Festes der h. Hedwig in den Franciscaner-Klöstern und den Nonnenklöstern des Ordens der h. Clara an.*

Innocentius episcopus etc. venerabilibus fratribus . . . archiepiscopo Magdeburgensi et . . . Wratislaviensi ac . . . Misnensi episcopis salutem etc. Sedes apostolica etc. Sane petitio carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum imperatoris semper augusti nobis exhibita continebat, quod licet festum sanctae Hedwigae annis singulis in ecclesiis cathedralibus partium Saxoniae celebretur, tamen in locis fratrum minorum et monasteriis monialium ordinis sanctae Clarae dictarum partium minime celebratur. Quare pro parte dicti imperatoris etc. (wie No. 524). Datum Avinione V. Idus Octobris anno octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. XXIV. cod. chart. fol. 39 in Vett. Monum. Polon. et Lithuan. hist. illustr. ed. Theiner. T. I. p. 607.